

---

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

SYNANCHE MALIGNA.

---



3

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,  
DE  
SYNANCHE MALIGNA;

QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DAVID O'CALLAGHAN,  
HIBERNUS;

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. HON. ET PRÆS. ANN.

NECNON,

SOCIET. HIB. MED. EDIN. SOC. EXTR.

AD DIEM 24 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

---

---

*Homines ad Deos nulla re proprius accedunt quam salutem  
hominibus dando.*

CICERO.

---

---

EDINBURGI:  
CUM PRIVILEGIO,  
APUD ROBERTUM ALLAN

MDCCC.



DE-COURCEY O'GRADY,

ARMIGERO, DE KILBALLYOWEN,

IN COMITATU LIMERICENSI,

OB


MULTA BENEFICIA IN SE COLLATA,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

D. O. C.

DAVID O'CALLAGHAN.





Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library





---

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

SYNANCHE MALIGNA.

---

DAVIDE O'CALLAGHAN AUCTORE.

---

QUONIAM hujus almæ Academiæ mos est omnibus qui honores summos in medicina obtinere volunt, thesin componere, ob hanc causam et non a scribendi voto tractabo de hoc morbo, qui ita a CULLENO definitur :—

e

DEFI.

## DEFINITIO.

“ *CYNANCHE* (maligna) tonsillas et membranam  
 “ faucium mucosam afficiens, tumore, rubore, et  
 “ crustis mucosis, coloris albescentis vel cineritii,  
 “ serpentibus, et ulcera tegentibus; cum febre  
 “ *typhode et exanthematis* \*.”

Hic morbus primum in Italia a medicis ortus esse dicitur, annum circiter millesimum sexcentissimum decimum, et modico tardoque gressu per Italiam repisse; ex hinc per omnes provincias quæ magni maris fluctibus aluuntur, et quasdam ejusdem maris insulas, Maltam præcipue et Siciliam, cursum tendisse. Magna regni Neapolitani pars, ubi annum circiter 1618 innotuit, ab eodem morbo vastata fertur, ultra viginti annorum spatium. Per has regiones grassanti morbo plurima et diversa

\* Vid. CULLEN. *Synop. Method. Nosolog. Gen. X. Spec. II.*

sa indita fuerunt nomina, quibus vis ejus indolesque exprimerentur.

In Britannia, anno millesimo septingentesimo trigesimo nono, primum exardens *morbus Pelhamicus* nuncupatus est, eo quod, gentia illius (Pelham dictæ) primores natos abstulerit et acerbo mererit funere, anno 1746 plurimis infantibus apud Bromleum prope Bow in Middlesexia exitio fuit; et primum ab celeberrimo FATHERGILL aptè atque idoneè descriptus fuit pro ea, quam pro se scribat formâ, annis 1747 et 1748.

Illustrissimo GREGORY, in hac Academia jam tantâ cum laude medicinam practicam docenti, primum hic morbus Edin. apparuit anno 1778 tarda pede in Septentrionales Scotiæ terras progredient, nondum in Cathnesiam pervenit..

Morbus hic ex unâ tantum specie constare videtur. Symptomata vero eum comitantia admodum variari solent; ideoque exquisitissimam solummodo morbi formam fert animus depingere.

Hic morbus est clare contagiosus, et homines cujuscunque ætatis contagioni suæ affines aggreditur,

sed pestifera hac lue facilius citiusque corripuntur infantes quam adulti, puellæ quam pueri, fœminæ quam viri, debiles effœtisque utriusque sexûs, quam ii quibus solidæ vires robore stant suo. Pro maxima parte primum ejus accessum, pyrexia, ægrota-tio, molestia, nausea, vomitus vel diarrhœa, vel utraque, et non raro coma vel vertigo, rigoresque cum calore alternantes, comitantur, rigor, calor-que sibi invicem succedunt, donec paroxysmus cali-dus plene formatur; æger jam in collo rigiditatem sentit, calorem doloremque in faucibus, dolor raro magnus est, et jam longius ipse progressus est mor-bus, antequam se multum a dolore faucium pati æger agnoscit.

Vultus rubet tumetque, oculi inflammatione in-signiuntur, et aquoso humore suffunduntur, inqui-etudo et molestia accedunt. Delirium vel in prima morbi nocte nonnunquam aggreditur, vespertinum versus tempus febris semper ingravescit, advenien-te mane æger in levem somnum incidit et sudore erumpente paulum a signis molestis levatur.

Delirium

Delirium in hoc morbo occurrens singulare prorsus est, et ab omnibus aliis delirii generibus prorsus dissonum. Interrogatus enim aliquid æger, Non solum aptè et ad rem, sed etiam cito admodum respondet. Non raro etiam evenit, ægrum, cum se placidiorem tranquilioremque esserat, aliqua morbi signa prodere; similis colloquente perpetuo est, etiamsi nemo, cum quo colloquatur, adsit, quod iis præcipue proprium est quos vexant vigilia. Sunt etiam inter eos hoc morbo laborantes, qui sensu carent, et qui rebus circa se gestis minimè animos attendunt.

Hæc rerum species per trium, quatuor, pluriumve dierum spatium observatur, et vespere adveniens ferè secum inquietudinem caloremque affert. Hæc signa cum delirio nocte graviora evadunt, et sudor quandoque abundans mane appropinquante prorumpit, cui placidior quies succedit.

Debilitas levior tantùm remanet, quæ cæteris aliis signis majorem ægro molestiam affert; pulsus parvus est, frequens, debilis et sæpe irregularis; urina primum pallet, sed progredienti morbo tanquam

quam commista bile flavescit, (et si in melius feratur morbus) fuscior evadit, et feculam furfuri similem deponit, raro alvus evacuatur, postquam desierit diarrhœa, quæ aliquando invadente morbo accessit, cumque diarrhœa supervenit, fæces bilis speciem protendunt. Multùm tamen istæ evacuationes differunt pro diversa corporum quæ afficiuntur conditione. Sitis minus in hoc quam in aliis acutis morbis adest. Lingua pro maxima parte humescit, et non sæpe aspera est: est tamen ubi pelliculâ albâ crassâ obducitur, atquæ ita doloris sensum circa radicem exhibet. Os faucesque inspicientibus, uvula tonsillæque tumefacta videntur, utque una cum velo pendulo palati et toto illo spatio quam longe in fauces prospectus patet, colorem è florido rubrum habent, qui facilè signari potest, in posteriore palati orâ, in angulo supra tonsillas, in ipsis tonsillis et qui diversus apparet, prout partes istæ in diversis hominibus formantur. Non sæpe in tantum tument tonsillæ, ut omnis esculentis potulentisque in ventriculum obstruatur aditus, et deglutatio impediatur.

In aliqua faucium parte plerumque conspicienda est crusta late diffusa magnitudine irregularis, et gingivarum digito impressarum vel puris, subtus collecti citoque prorupturi, speciem referens; crusta ista, a cinereo colore mutata, multos alios induit, donec tandem in nigrum desinat, cum vero amovetur, ulcera subtus patent celeriter in gangrænam tendentia; e faucibus ita affectis spiritus præter modum gravè olens fetidulque emittitur, quod longe antequam ulcera sese ostenderint evenisse dicitur, et nauseam movisse. Glandulæ parotidæ aliquando tument indurescuntque; necnon aliquando in puris generationem profleuntque abeunt. Cum morbus gravius sævit, collum gutturque tumore magno œdemati non ab simili et in pectus descendenti circumdantur, qui adeo faucium aperturam arêtat, ut inde suffocatio proveniat. In ea morbi specie ubi spes omnis salutis excidit, Synanchen trachealem abit et Larynge pariter affecto, vox jam idem sonat, ac in iis hominibus qui fune circa collam legato, spiritum efflant, quod fecit ut Hispani nomen *Garatillo* morbo indiderint:

In aliis casibus, quam longè oculi visus in nares patet, color eorum ruber vel potius livens est, e naribus etiam intra paucos dies tenuis corrodens sanies vel unâ cum ista, pus foetens crassiusque effluit tanta acredine, ut eas quas partes præterluit, excoriet. Hoc vel in puerilis ætatis, vel debilioris delicatiorisque corporis, ægris, videndum est; quorum labia coloris mox descripti, teguntur intus, vesiculis ichore tenui defluentibus, quod oris angulos, omnesque genarum quas attingit partes pelle nudat. Humor iste venenatus in œsophagum descendit et inde in intestina, iisque omne suum virus quam dirum est dispendens, suasque ibi vires exerit, et diarrhœam et circa anum excoriationes efficiendo. Secunda, tertiave, plerumque die, facies, collum, pectus, manusque ad extremos usque digitos, colorem intensius erysepelatosum induunt et haud parum tument, in tantum rubent digiti, ut iis visis, morbi species naturaque longius latere nequeat, in Brachiis aliisque partibus erumpunt papillulæ plurimæ minores illis quæ circumdantur, partibus rubescerent; majores sunt, multoque magis



gis imminent in iis ægris, iisque partibus ejusdem ægri ubi rubido minima est. Quod fere in brachiis extremisque aliis locum habet. Prout cutis isto colore induitur, morbus miscet, non vero semper, nam cum eruptio minor fuit modicè fauces aliquando afficiuntur, et cum pessimè fauces afficiuntur, gravissima est eruptio. Febris plerumque mitior est quo magis abundat seges pustularum. Sed quandoque levior tantum febricula est eruptioni parcae sævioraque symptomata invadunt cum eruptio largior sit. Multæ res, tempus illud, quo papillulæ erumpunt, mutant; eruptio earum frigore avertitur, et frigore etiam omnino postquam sese monstraverint impediri possunt. Celeberrimus GREGORIUS mitiores aliquot casus refert ubi nulla omnino fuit eruptio.

Ingruente morbo epistaxis quandoque supervenit et sequioris sexûs ægræ quæ mensiuos annos attigerunt, fonte illo cruento scatent, etiamsi dies ille non adfuisset, quo rite menstruare debuissent, cumque menses, inter ægotandum debito fluunt tempore, majori copiâ funduntur. Juniores etiam

foeminæ quæ nunquam antea rivo illo salutifero cruentatæ fuerunt, nunc prematuro naturæ conatu, istum fluxum patiuntur. In provectiore morbi tempore, sanguine e nasibus atque ore profluente exhausti succumbunt ægri. Sanguis etiam ex auribus prorumpens mortem ægri nunciaffe prædicatur, non nisi postquam morbus per aliquot dies sævierit sanguinei isti fluxus eveniunt.

### CADAVERUM INSPECTIO.

QUAM plurimis cadaveribus dissectis, eorum qui Synanche Gangrænosâ mortem obierunt, celeberrimo LIEUTAND compertum est, non solum fauces naresque, sed etiam Laryngem, tracheam, et bronchia, obduci crustâ, quæ omnino similis illi erat, quæ in tonsillis videtur. In quibusdam hujus morbi casibus per totum œsophagi ventriculi et intestinorum tractum crustæ illæ discernuntur, quod semper timendum est quoties tormina, diarrhœa abdominisque dolor ægrum torquent. Quinetiam  
cele-

celeberrimus LE CAT. de ista hujus morbi specie differens quæ Romam anno 1754 infestabat; plurimos in medium adfert casus, in quibus tunica villosa per totam caudam alimentariam gangrenâ afficiebatur, in quibusdam etiam cadaveribus omnes intestinorum tunicas adeo in pejus ferri inveniebantur, ut quicquid in iis contentum fuisset, in cavum abdominis deflueret. Sed præ cæteris, curâ industriâque insigniuntur istæ cadaverum sectiones quas celeberrimus WITHERING, in dissertatione inaugurali Edinburgi, anno 1766 impressa exposuit \*.

“ Mulier quædam trimestri spatio post partum  
 “ in anginam gangrenosam implicata est; quo  
 “ morbo procedente, exanthemata pectore appa-  
 “ rebant; alvus limosa quædam cum torminibus  
 “ reddebat; ipsa octavo die perempta est, cada-  
 “ vere aperto, membrana, fauces et superiorem  
 “ œsophagi partem intus obducens, multo crassior  
 “ justo, crustisque; fulvi coloris consista reperie-  
 “ batur; quibus facile seperatis, partes subjectæ

B 2

rase;

\* Vid. WITHERING, *Dissert. Inaugural.* p. 8.

“ rafæ ; tanquam inde aliquid periiffet, appare-  
“ bant. Rubedinem, quæ vivarum fuit, fauces  
“ perdiderant. Craffior folito, magisque rubra  
“ interior laryngis membrana erat. Ventriculus  
“ et inteflina materiem limofam continebant, cir-  
“ ca guttur glandulæ lymphaticæ ampliatae erant.  
“ Salivæ autem fub lingua glandulæ minime affec-  
“ tæ videbantur. Glandula quædam lymphatica  
“ protinus fupra ipfum parotidis additamentum  
“ fita, magnopere, ipfa vero parotis glandula mi-  
“ nime tumefcebat. Hinc tumores, qui a paroti-  
“ dum et falivæ in maxillis glandularum affectibus  
“ orti crediti funt revera glandularum lymphati-  
“ carum effe, quodque acrem ex ulceribus fauci-  
“ um materiem hæ imbiberint ideo affectæ, et fa-  
“ livæ glandulas folum ex reliquis partibus tume-  
“ factis deinde affici, verifimillimum eft, ad fupra  
“ dicta adtexendum videtur, huic mulieri fanguinis  
“ unciis quatuordecem detractis arterias multo de-  
“ bilius micuiffe, robor prorfus fractum effe, ip-  
“ famque ad priftinas vires et valetudinem, auxi-  
“ liis

“ liis aliter secundissimis adhibitis nunquam deinde  
 “ reduci potuisse.

“ Idem auctor, pueri annos quinque nati hoc  
 “ morbo perempti, cadavere scrutato, membranam  
 “ fauces intus obducentem multo spissatiorem, non  
 “ incrustatam, sed ulceribus maculisque liventibus  
 “ per magnam œsophagi partem serpentibus confi-  
 “ tam, laryngem a morbo liberam, pituitosam nasi  
 “ membranam memorabiliter tumefactam con-  
 “ spexit. Hic puer vivus exanthematibus carue-  
 “ rat; sed alvo soluta, per totum morbi tempus  
 “ exercitus erat.”

### CAUSÆ REMOTÆ.

HÆ causæ plerumque in prædisponentes et oc-  
 casionales sive excitantes dividuntur. Juniores, ut  
 antea dixi, magis sunt huic morbo obnoxii quàm  
 adulti, atque inter illos sequior sexus quam robu-  
 stior, fœminæ quam viri, debiles effæti que quam iis  
 qui solidis integrisque viribus sunt, juniores sequi-  
 orque

orque sexus delicatiori corporis compagi fibrif-  
 que laxioribus præditi sunt, multo magis morbi  
 viribus patent, quam adulti. Debilitas vero quo-  
 cunque modo superveniens contagioni invadenti  
 plurimum favet; rebus ita se habentibus, pronum  
 est concludere lassitudinem, esculenta debiliora,  
 &c. ad hunc morbum prædisponere, quod facit,  
 vilem plebiculam cujus paupertas et inopia, malâ  
 forte vitæ delicias amovent, multo sæpius, morbo  
 de quo tractamus, infestari, quam proceres divi-  
 tesque, quibus pecunia munditias et delectamenta  
 omnia ministrat. In iis qui laute vivunt et vino  
 utuntur, magnæ evacuationes hunc morbum indu-  
 cunt, nimius mensium fluxus, nimia venus, omnes-  
 que animi affectus, corpus enervantes, ex quibus  
 sunt timor, terror, mæror, &c. inter causas prædispo-  
 nentes habenda sunt, sunt etiam hujus generis causæ  
 veluti fluidorum acrimonia.

Homines ergo scorbuto laborantes vel nimio  
 Mercurialium usu vel liberius carnibus sine vegeta-  
 bilium debitâ admixtura vescentes ad morbum hunc  
 præcipue prædisponuntur. Secretiones quoque

sup-

ſuppreſſæ, prout in putreſcentiam corpus induc-  
tes prædiſponentes cauſæ haberi debent. Terræ pa-  
ludofæ, tempeſtates anni pluviis frequentioribus in-  
ſignitæ æſtu præfertim comitante multum ad mor-  
bum hunc prædiſponunt. His cauſis addere etiam  
licet aer impurus, munditia neglecta, quod vix fatiſ  
improbari poteſt.

### CAUSÆ EXCITANTES.

UNICA hujus morbi cauſa excitans contagio eſt,  
cujus natura adhuc tam in obſcuro latet, ut ne vel  
conjecturam de ea offerre audeam. Adco enim  
contagionis, in genere naturam ignoramus, ut ſu-  
perbius paullo et arrogantius ſeſe geſſerit qui parti-  
culares ejusdem ſpecies inveſtigare fuerit conatus.

## CAUSA PROXIMA.

CAUSA hæc a systematis nervosi debilitate videtur pendere, quæ cum putrida fluidorum acrimonia confociatur, verum unde hæc acrimonia in fauces potius cadat haud penes me esse explicare libenter fateor, experientiâ vero observatum est ad has partes esse determinationem in omnibus exanthematibus veluti in morbillis, variola, &c.

## DIAGNOSIS.

Hic morbus tantum a cæteris synanches speciebus discrepat, ut diagnosis minime necessaria esse videatur, sed cum pro synanche tonsillari acceptus fuerit, certissima quibus dignoscitur indicia indigenda suscipiam. Angina maligna, infantes puerosque sæpius quam adultos, mulieres quam viros, debiles ægrosque utriusque sexus aggreditur. Con-



tra vero synanche tonsillaris, viros adultosque robustos sanosque corporis invadit. In autumno maligna sæpius ingruit, et contagione facta est. Inflammatoria in vere sævit, sine contagione, utraque species cum rigoribus incipit, maligna vero sæpius cum nausea vomitu et diarrhœa, dolore capitis acuto invadit quam inflammatoria. In illa pulsus celer frequens, parvus, inæqualis debilis, non raro undulans; in hac, pulsus frequens, validus et durus, in maligna non multum a dolore fauces patiuntur, in inflammatoria dolor sentitur acutissimus, in illa præterea vires multum franguntur, animus demissus est, continua anxietas adest, gemitus, circa præcordia oppressio, in oculis languor, crustæ vero sese monstrantes nullum dubio locum relinquunt, si vero crustis accedat eruptio scarlatina nulla inflammatorum suspicio morbum adesse, haberi potest.

## PROGNOSIS.

A SYNANCHE maligna semper ægri periclitantur sed periculum majus semper habendum est quo gravior pyrexia est, quo magis lurida sunt signa gangrænam indicantia; quare livor, sive, quod pejus est, nigrido faucium, spiritus fætens certa humorum acrimonia nares anumque erodens præcones sunt gangrænæ.

Si vero hæc signa febrem plus solito putridam stipentur properantem rapido pede mortem loquuntur, quæ supervenit nonnunquam tertiâ sæpius vero septimâ die. Tam pravæ indolis hæc febris esse videtur; ut facile existimare liceat, eam ad eandem fati metam ducturam esse absque putridis malignisque faucium ulceribus aut certè si modo mitiora fuerint hæc ulcera, creber vomitus, diarrhœa (præsertim si fæces liquidiores fætidioreque fuerint) sævum delirium, et respiratio difficilior gravem morbum indicant, tumores circa collum

nil

nil boni ominis asserunt. Quippe quæ monstrant materiem morbidam absorptam fuisse, membranam Schniderianam longè latèque affectam fuisse, et non raro suffocationem factam fuisse eo quod hic ferofus aëris putridus corruptusque humor in bronchia effusus fuerit, et inflammationem in laryngem asperamque arteriam devenisse, ibique edidisse symptomata, qualia synanchem trachealem et pneumoniam insigunt. Melioris ominis signa sunt ulcera in faucibus rubicundiorum superficiem exhibentia, spiritus oris parum ad huc affectus sed odorem tetrum non relinquens, febris mitior, animus alacris, appetitus redivivus, facilis jucundusque somnus, eruptio copiosior tres quatuorve dies manens, tunc decidens sudor denique lenis generalisque omnia symptomata meliora reddens.

## RATIO MEDENDI.

PRÆCIPUE in hoc morbo curandi indicationes sunt,

- I. Ægri vires sustentare,
- II. Proclivitatem in putredinem sistere,
- III. Graviora symptomata lenire.

Antequam de indicationibus tractare ceperimus, haud abs re futurum esse speramus, paucis de venæsectione vesicatoriis, emeticisque differere.

Venæsectio raro in hoc morbo necessaria est sed si celebranda caute admodum celebrari debet. Venæsectio generalis vix unquam adhiberi debet, et topica tum tantum, cum topica inflammatio sævior est, adhibenda est. In morbi initio emetica cum utilitate porriguntur, non raro febris vires præci-  
dunt,

dunt, bilemque et fordes quibus ventriculus inficitur eluunt, ad hoc propositum primus antimonialibus locus conceditur, quippe quæ præcipuum partem in febre præcidendâ agunt, et quæ semper in usum vocanda sunt, nisi quidquam eorundem usui obveniat. Cæteris omnibus antimonii præparatis meritò præluet antimonium tartarizatum. Si vero ætas cæteræque ægri conditiones aliquid aliud quod stomachum ad movendum lenius excitet, requirant, ipecacuanha primum locum tenere debet. Hac etenim medicina omnibus et rerum et ætatum et temperamentorum stadiis convenit.

Vesicatoria in hoc morbo a quibusdam laudantur, cum verò et eruptionem promoveant, gangrænamque eliciant caute sunt adhibenda, morboque invadenti magis, conveniunt. Hoc etenim tempore symptomata certius inflammationem loquuntur.

Ad indicationes jam revertamur, ex quibus prima est debilitati obviam ire. Hujus indicationis efficiendæ votis præsertim respondent tonica, quorum maximè laudanda est cinchona, ad hunc etiam indicationem

cationem complendam stimulantia plurimum faciunt.

Cinchonæ pulvis tam abunde et tam sæpe quam ferre potest ventriculus adhibendus est, si vero hunc, (ut sæpe fit) ferre nequit ventriculus ad alia ejus præparata recurrendum est, quibus omnibus extractum anteferendum est, tinctura infusaque commoda sunt iis qui cætera præparata ferre nequeunt, pulvis etiam additus opio et aromaticis, plerisque stomachis convenit. Vinum præcipue Lusitanicum huic indicationi respondet, aromatica cum aliis stimulantibus in hoc morbo, nec raro cum aliquo commodo, adhibita fuerunt. Si secundæ indicationi consulere velimus, mundities summâ curâ colenda est, ab ægri cubili cujuscunque generis fordes quam primum submovendæ sunt, vestimenta cæteraque alia quibus utitur sæpius mutanda sunt, ventilationi præcipue cura habenda est, aër vero frigidus excludendus est, multum enim mali facere potest eruptionem repellendo acida præfertim ad hanc indicationem faciunt. Putrefactionem enim corrigunt, nec horum usum diarrhoea

rhœa superveniens impedire debet, sicut illustrissimo FOTHERGILL videtur, diarrhœa enim potius ab acri materia a faucibus intestina diffluente quam ab acidi viribus ortum ducit cinchona sub enematis forma vel pediluvium huic indicationi favent.

Ad tertiam ultimamque indicationem jam devenimus. Quæ in hac indicatione symptomata curare decet, sunt faucium conditio, diarrhœa, quandoque hæmorrhagiæ. Faucium gutturisque affectus melius astringentibus, detergentibus, antisepticisque gargarismatibus fiduntur, quæ sæpe et assidue adhibenda sunt, infusum rosarum, vinum Lusitanicum aqua admixtum, solutio aluminis, decoctum cinchonæ vel corticis quercini, acidum sulphuricum dilutum, &c. ad gargarismata efficienda tendunt. Si infantulis propria gargarismata administrari nequeunt per syringem injici debent, si debitâ cura munditiei, oris, fauciumque consulitur, materies acris a stomacho et intestinis amovetur.

Quæ tam sæpe accidit diarrhœæ, obstari potest, quæ si adveniat, ad diluentia, opium, et astringentia per os et sub forma clysmatis adhibita recurrendum

dum est. Si hæmorrhogiæ superveniant optime astringentibus, ex quibus sunt lintea aceto madefacta, acidum sulphuricum dilutum, aluminis solutio, gallarum et corticis quercini infusio, si glandularum tumores perstant, absenti morbo, quod sæpe evenit calomelane parvis dosibus dato discuti possunt.

F I N I S.